

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Modestinus Pistoris

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

MODESTINVS PISTORIS
Iurifconsultus;



Iure Modestinus fuit olim clarus: utroque
Iure Modestinus sum quoque clarus ego.

M. D. LXV.

MODESTINVS PISTORIVS, SI-
mo. F. Sim N. Nicol. Pron, Lipsiæ
natus anno M. D. XVI:

Quem & patria atque domestica disciplina eru-
dijt sedulo: & Italia per totum quinquenium
omni liberali doctrinâ, ac in primis
Iurisprudentiâ excoluit
mirificè:

Legum in patriâ consultus Doctör, & faculta-
tis Iurid. Ordinarius:

Saxonix Elect. Princ. Consiliarius, & Iudicij
Curialis Assessor Perpetuus:

Quin & Proavi Cos. Lips. & Aui Medici, &
Patris Iurisc. Præstantiss. exemplo, per
multos annos consulari fun-
ctus dignitate:

Magnâ cum laude dignitatis, virtutis, sapien-
tiæ, iustitiæ:

Magni illius Modestini, veteris I C. Rom. vt
nominis, ita ingenij ac studij con-
sors digniss.

Non tam ætate consumptus, quàm laborum
pertinaci assiduitate fractus:

Cum max. non suorum modò, sed totius Reip.
extern. quoque luctu.

Piè ac religiosè ex hac vitâ excessit Anno Sal,
M. D. L X V. Aet. XL I I X.

M. I X. D. VI.

S ij

IN MODESTINVM PISTORIS
Iureconsultum.

EPIGRAMMATA.

MATTHIAE GROSII.

Qui sub Alexandro quondam sacra a Seuero
Iura Modestinus tractans, dubiosq; resoluens
Ambigua Themidis nodos, laudabile nactus
Nomen, in aeternum meruit clarescere scriptis:
Nostra Modestinum, claro quem clara parente
Lipsia progeniuit, non inferiora secutum,
Nec cuiquam veterum doctrinae laude minorem,
Secula non magni faciant, venerentur, amentq;
Testis opus praesens fidei, prudentiae & almae
Integritatis erit, quae civica iura professus
In patriam fulsit Phoebeae lampadis instar:
Dij facite, Hartmannus vivat Pistorius, ortu
Nobilis, ingenio magnus, meritisq; celebris:
Cuius ope accipiunt lucem geniumq; labores
Fraterni, & legum capit incrementa facultas.

N. REVSNERI.

Quanta Modestino Iuris prudentia magno,
Consilij grauitas quanta, fidesq; fuit:
Tanta Modestino Iuris prudentia nostro,
Consilij grauitas tanta fidesq; fuit.
Lipsia maiorum claro quem protulit ortu:
Quos artis medica, Iuris & ornat apex.

Multum cui Schola, cui debet Respublica multū:
Illius doctor, Consul ut huius erat.
Multum debet & ipsa potens cui Saxonis aula:
Consilio patria rexit ut ille duces.
Consilio quæritus fuerit, monumenta loquuntur
Publica, cordato pignora digna viro.
Cætera prætereo: pietas, sapientia, virtus
Cunctis nota, suum promeret ipsa decus,
Patria post vitæ sepelitur septennia septem
Corpus: at in cælum mens reuocata redit.

GREGORII BERSMANNI.

Ingenium, virtus, sapientia, Gratia, Splendor,
Vrbis honos, Aule Gratia, Fama scholæ:
Cuncta Modestini lugent Pistoris ad vrbem:
Lipsia sed cunctis tristior, orba gemit.
Et meritis: quoniam Iuris consultior illo
Consule nullus erat, nec magis vrbis amans.
Non mors hunc rapuit: terras Astra a perosa
Noluit hunc terris longius esse super.

& iij